







16
16.
17
18
19
20
21.
22
23.
24.
25.



1688.

16. Poth, Joh. Mus.: De iudice imperito.
17. Rahnus, Henr. Balchas: De creditore creditoris
et debitoris debitoris.
18. Rahnus, Henr. Balchas: De retentura.
- 19^{1. 2.} Rahnus, Henr. Balchas: De falsa moneta.
2 Saupl. 1688: 1737.
- 20^{1. 2. 3.} Rahnus, Henr. Balchas: De centone de non affluendo
3 Saupl. 1688: 1745.
21. Schmidt, Fr. Andreas: De gymnasiis literariis America-
niam.
22. Schroeterus, Johann Christianus: De juramento litis
decisorio judiciali.
23. Stroglius, Joh. Philippus: De fidei rei pecunie
notali comparatae vindicatione.
24. et Stuve, Georgius: De contractibus principum 2 Saupl.
1688: 1743.
25. Stuve, Georgius hanna: De testamentis principum
imperii

1688

26. Inuus, Pataupers : De ludis equestribus.







21. A. J. 1768/1769
CAUTIONEM

DE
NON OFFENDENDO, 6

DECRETO
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

In Illustri Salana

PRÆSIDE

D. N. HENR. BALTHAS. ROTHIO,

JCto, Consil. Saxon. & Schwarzburg. Antecessore,
Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ
Asfessore gravissimo,

PRO

LICENTIA DOCTORALI

ET

SVMMS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
PRIVILEGIIS QVE LEGITIME CONSEQVENDIS,

Horis ante & pomeridianis

ad diem XI. Februar. ANNO M DC LXXXVIII.

DISPVATIONIS INAVGVRALIS LOCO

IN AVDITORIO ICTORVM

ventilandam sstii

JOH. ABRAHAM PFEIFFER,

Niedergräffenhainâ - Mifn.

JENÆ,

Excudebat JEREMIAS NEPPIVS.



ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO,

DN. HAUBOLDO
AB EINSIEDEL,
DYNASTÆ

IN HOPFFEGARTEN ET OTTENHAIN,

Serenissimi ac Potentissimi Electoris Sax.
Imperiiq; Germanici Archimarschalli, Con-
filiario, ac Circuli superioris montani Justitiæ
Præsidi gravissimo,

DOMINO AC PATRONO SUO
OPTIMO

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

devotissima mente
sacrat

submitus Clientis

JOH. ABR. PFEIFFER,



PROOEMIUM.



Vanquam inter omnes homines cognationem quandam natura constituit, & per consequens hominem homini insidiari maximum est nefas *l. 3. ff. de f. & f.* quotidie tamen videmus, quàm promiscuè mortales sicut in cætera crimina, ita & in læsionem proximi ruant, ac quàm istud Juris præceptum: ALTERVM NON LÆDERE, paucissimi curæ habeant. Magistratus quidem tam Ethnici, quàm Christiani, omnibus ferè temporibus, non solum metu pœnarum, verùm etiam præmiorum exhortatione bonos efficere cupiverunt, *l. 1. §. 1. ff. eod.* (nam pœnis & præmiis respublicas contineri existimarunt etiam Philosophi, *vid. Gell. noct. Attic. lib. 20, cap. 1.*) & quanto rigore hodie in Gallia animadvertatur in eos, qui aliis vel levem inferre injuriam audent, est notissimum: Sed neque his effrenatam peccandi, inprimis offendendi cupiditatem adhuc frenari potuisse, experientiâ docemur. Hinc non modo, si subitus contra aliquem fit insultus, vim vi repellere licet,

sed etiam si comminationes factum præcedunt, securitatem quærere jure permissum est. Præsumitur ea inveniri in præstatione CAUTIONIS DE NON OFFENDENDO, in quam, tanquam non inutilem in praxi materiam, accuratius paulò inquirere, eamve solenni & Inaugurali Disputatione eruditorum disquisitioni exponere libuit. Quod ut B. F. F. Q. fit, exemplo sacratissimi nostri Imperatoris Justiniani IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI exordior

CAPUT PRIMUM
DE
DEFINITIONE NOMINALI
ET REALI,
NEC NON
DIVISIONE CAUTIONIS
DE NON OFFENDENDO.

SUMMARIA.

I. Terminorum etymologia. II. Eorum significationes, quæ hujus loci sunt. III. Cautionis de non offendendo homonymia. IV. Synonymia. V. Materia connexio. VI. Duplex definitio. VII. Divisio in judicialem & extrajudicialem. VIII. Divisio in cautionem, quæ sit fidejussoribus, pignoribus & juramento.

§. I.

Rubricæ nostræ terminos tam ut constitutendos in etymologia, quam ut constitutos in homonymia & Synonymia si consideramus, cautionis vocabulum à verbo *cavere* derivari, verbum *offendendi* ab obsoleto *fendo* & præpositione *ob* componi reperimus.

II. Si-

II. Significationes *cautionis*, quæ extra Jus, cuilibet in Lexicis, quæ in Jure obveniunt, in Brissonii *tract. de verborum*, quæ ad Jus pertinent, significatione quærendæ. Hic denotat satisfactionem, per quam adversarius redditur securus, l. i. ff. qui satisd. cog. Offendendi notionem quintuplicem habet Pontanus in *progymn. vol. 1. pag. 53.* Nobis offendere est lædere, corpori aut bonis alterius inferre vim seu damnum, sive ut Cicero *lib. 11. Ep. 28.* loquitur, re aliquem offendere, emen thätlich beleidigen.

III. Cautio de non offendendo in Jure quadrifariam accipitur. (1) Quæ datur à re rei, de qua *101. tit. ff. de damno infecto.* (2) Quæ à re personæ præstatur, per §. 5. l. 13. ff. de damn. inf. Quamvis non desint, qui hoc genus cautionis profus negant, vid. Hercul. de caut. de non offend. cap. 2. n. 1. seq. (3) Quæ à persona rei conceditur, ut si quis metuat, ne possessionem suæ rei alter violenter invadat, per l. si super possessione 9. C. de transact. (4) Quando persona personæ cavet, de qua cautione hic dicitur. Gail. de pace publ. lib. 1. cap. 2. num. 9. Mind. de prot. Camerali lib. 2. cap. 35. n. 5. seq. Non tamen profus excluditur ea species, ubi persona rei, e. g. ædificii causa satisdat, si scilicet ei ignem aut aliud ruinæ genus comminatus fuerit.

IV. Vocatur aliàs cautio de non offendendo à Dd. promissio, fidejussio, securitas de non offendendo, it. cautio de conservando pacem. Vid. Jul. Clari *pract. crim. q. 47.* & ad eam Bajardi additiones.

V. Hæc de terminis. Rem ipsam quod attinet, illa consideranda venit vel in genere, in sua definitione & divisione; vel in specie, & quidem (1) in se, tum in suis Consentaneis, causis scil. & effectibus, tum in Dissentaneis; (2) in finibus.

VI. Desinitur cautio de non offendendo à Franc. Herculano in *alleg. tract. cap. 1. num. 2.* quod sit legitimum præsidium, quod justè timenti se offendi per judicem conceditur. Eckolt *ad ff. lib. 2. tit. 8. §. 18.* Hæc descriptio cum nimis angusta sit, lubet sequentem adjicere: Cautio de non offendendo est satisfactio idonea, quæ justè timenti, vel ad ipsius instantiam, vel judice ex officio jubente, vel conventionaliter inter partes, præstatur securitas ab eo, qui alterum offendere comminatus est.

VII. Dividi potest hæc cautio in *Judicalem*, quam judex vel ad partis instantiam, vel ex officio exigit; & *Extrajudicalem* sive *conventionalem*, Schneidew. *ad Inst. tit. de satisfact. n. 8.* circa fin. quam

quis vel ex metu, ne in iudicium vocetur, vel ex pio reconciliationis desiderio, alteri, nudis verbis fidere nolenti, constituit: Seu quando utraque pars se non offensuras sibi invicem sub certa pœna promittunt.

VIII. Potest ulterius hæc cautio dividi in *satisfactionem* propriè dictam, quæ scilicet fit datis *fidejussoribus*; *cautionem*, quæ fit per constitutionem *pignoris*, & *promissionem juratoriam*, de quibus in sequentibus plura. An etiam in *civilem* & *criminales*? Dubitat Herculianus *dicto cap. 1. n. 27. seq.* Sed & hæc divisio poterit admitti, præfertim si Urphedam, (qua reus, qui carceribus relaxatur, jurat, se non ulturum, quicquid ibi passus est, ac si condemnatus sit, pariturum se etiam sententiæ, Carpz. *pr. crim. qu. 127, n. 46.*) ceu speciem cautionis de non offend. consideramus.

CAPUT II.

agit

DE CAUSA EFFICIENTE ET FINE.

I. *Causa efficiens remota.* II. *Causa efficiens propinqua.* III. *Duplex causa moralis seu impulsiva, nimirum rei prolate mina, & actoris petitio. Spoletanorum ad offendendum promittudo.* IV. *Minarum duo genera. Dissidationum & minarum nudarum differentia.* V. *Ad nudas minas, si iudicem ad cautionem de non offend. decernendam, movere debent, duo requiruntur.* VI. *Cautio de non offend. finis ultimus & intermedius.*

I.

AD tractationem hujus materiae specialem si progredimur, ordo in th. 4. cap. antecedentis positus jam nos ducit ad *causam* cautionis de non offendendo *efficientem*, eamque primò *remotam*, quæ Lex, seu Legislatoris dispositio est. Hæc juxta communem Dd. opinionem (quorum plurimos allegatos vide à Carpz. in *pract. crim. qu. 37. n. 79.* à Mevio *ad Jus Lubicense p. 4. tit. 16. art. 4. n. II.* à Gail, in *tract. de pace pub. cap. 2. n. I.*) reperitur generaliter in *l. hæc autem satisfactio 4. ff. si cui plus, quam per Leg. Falo. l. denunciamus 5. C. de his, qui ad eccles. confug. l. illicitas 6. pr. & §. 2. ff. de offic. pres.* specialiter verò expressa

in

in cap. transmissa 8. cap. licet tuas 13. X. de restitut. spoliat. in fine,
in Ordinat. Criminal. art. 176. von Straff oder Versorgung der Person
nen / von den man aus erzeugten Ursachen / Uebels und Missethat erwart
ten muß / nec non in Juris Lubecensis lib. 4. tit. 16. §. 4.

II. Causa efficiens proxima respectu cautionis de non offen-
dendo Judicialis, est iustus iudicis, ejus præstationem injungentis;
respectu extrajudicialis seu conventionalis est partium consensus,
sive conventio. Cautio quidem juratoria, si suos legitimos conse-
qui debet effectus, i. e. caventem juvare & ab onere ulterioris cau-
tionis relevare, adversarium verò de eo, super quo alter juravit,
securum reddere, regulariter semper ad iudicis delationem præstanda
est, l. 3. ff. de jurejur. Cautionem verò nostram, quæ datis fidejusso-
ribus aut pignoribus fit, interdum solo partium consensu & qui-
dem cum effectu constitui posse, dubitandum non est.

III. Movetur iudex ad decernendam cautionem de non of-
fendendo duplici de causâ: (1) *minis* à reo prolatis, & (2) *partis*
petitione atque instantia, quâ ut plurimum imploratus nobile offi-
cium suum impertit. Ut tamen semper adsit hæc posterior causa,
necesse non est. Nam iudex (quicquid etiam sentiat Hahn. ad
Wes. tit. qui satiad. cog. num. 2. & Paulus Parisius *vol. 4. conf. 168.*
num. 10.) hanc ipsam cautionem, seu publicam quietem, civium
concordiam, salutem & tranquillitatem respicientem, etiam non
imploratus, ex officio decernere, & paribus invitis inponere valet.
Vivius *decif. 341. num. 1.* Sæpè enim metus scandalorum & ne
partes ad arma procedant subest, inprimis, si utraque pars alterum
invadere minatur. Carpz. *pract. crim. qv. 37. num. 84.* Jul. Cla-
rus *pract. crim. qv. 47. n. 3.* & Bajardus *in addit. num. 23. C. 24.*
ubi de Spoletanis, quorum gubernator fuit, memorat, quod ma-
nus adeò promptas ad se offendendum, injuriasque vindicandum
habuerint, ut si præstatio cautionis de non offendendo ipsi non
statim injuncta, sed prius de ea disputatum fuisset, se interim seu
furiosi offenderent, non obstante inter eos paterno amore, aut fi-
liali reverentia.

IV. Ad causam impulsivam priorem, minas scilicet, quod
attinet, notandum, quod earum duæ sint species, aliæ hostiles, quæ
in specie dicuntur *diffidationes*, *Besehdungen* / *Absägungen*; aliæ
autæ minæ. Ad illas requiritur, primò, ut ad verba minateria
acce-

accedat factum aliquod, quo extrema persecutio denunciatur, velut
ut quis literas diffidatorias scribat & in loco aliquo affigat, aut po-
nat, aut post minas domicilio relicto, ad loca suspecta, aut illos, à
quibus opera præstolatur, aufugiat; Dasß er austrete / aut signa ho-
stilia, veluti scopas, titiones, carbones, papyrum cum pulvere tor-
mentario, vel similia, quæ Brandzeichen dicuntur, suspendat, vel
aliud quid agat, unde interminatio periculi colligitur. Secundò,
ut ex comminatione non saltem uni homini, sed toti universi-
tati impendeat periculum, etsi unius saltem gratiâ facta sit, veluti,
si quis uni minatur incendium affixis præfatis signis, unde metuen-
da plurium ædium combustio. Carpz. *cit. qu. 37. à num. 15. usque
ad 22. Mevius loc. cit. Berlich. p. 4. concl. 21.* Hæ minæ hæc non
pertinent, sed gladio, ceu crimen tractæ pacis publicæ puniuntur,
etiã si solus conatus processerit, nihilque damni datum sit, per
*Const. pac. publ. sub tit. die Poen aller Friedbrecher / vers. und
ob iemandes / Rec. Imp. August. de anno 1548. §. ferne zu noch
mehrer beständiger Lebaltung / & Rec. Imp. de anno 1557. §. wie
setzen / ordnen / Ordinat. crim. Carol. art. 128. Const. Elect. Sax. 14.
part. 4.* Si alterutrum in comminationibus præfatorum deficit
requisitorum, v. g. Si quis alicui, aut toti universitati incendium
minatus est his verbis; er wolle einen rothen Hahnen ihu auf das
Haus setzen, nullis accedentibus literis, aliove sermo singulari, non
ut diffidationes, sed minæ nudæ sunt accipiendæ. Mevius *loc. cit.*
Carpz. p. 4. const. 15. def. 3. 4. Berlich. p. 4. concl. 22. n. 5. 6. 7.

V. Circa has, nudas scilicet minas itidem duo notanda ve-
niunt requisita, quæ ut adsint, necesse est, si iudicem ad decernen-
dam de non offend. cautionem movere debent. Primum est,
ut verba à minitatore emissa, sint reverà minitoria, quæ damnum
aliquod injustum ac violentum, aut proflus mortem alteri denun-
ciant. Sunt enim quædam verba, quæ tam in bonam, de vindi-
cta scilicet iusta, quæ sit mediante iustitiâ, quam malam partem ac-
cipi possunt, veluti cum quis dicit: Ich wil mich an dir rächen /
ich wil es eiffern / ich wil dir gedendenen &c. Hæc, quia in dubio
benignior interpretatio assumi debet, *c. esto X. de R. 7. l. proxi-
mè 3. ibi: sed in re dubia, ff. de his, quæ in testam. delent.* pro ea
vindicta, quæ sit auctoritate iudicis, sive per viam iustitiæ, acci-
piuntur. Hering. *de fidejuss. c. 5. num. 188.* Prudentis tamen iudi-
cis

cis arbitrio relinquitur, num ex verborum aut personarum qualitate, nempe cum inimicus inimico, cum quo nulla lis judicialis est, vel qui minas manu sua citò exequi solitus est, minatur, aliud sentiendum sit, quod Carpz. in *pract. crim.* atque Mev. ad *Jus Lub.* loc. cit. ex Vincent. Catoc. dec. 46. & Arum. ad Aur. Bull. discursu 6. ib. 17. benè monent. Alterum requisitorum est minarum probatio. *Ord. crim. art. 176. verb.* und sich solches zu recht gnuung erfunde. Nam judex ad cautionem hanc præstandam condemnare nequaquam potest, nisi, minitator reus sit confessus, vel convictus de minis ad minimum per duos testes. Eckolt. loc. cit. Hinc à Dn. Scabinis Lipsiensibus sæpius pronunciatum esse: Wegen der articulirten Bedraung mag wieder Jhn/ weil er derselben wie sich zu Recht gebühret / nicht überwiesen / nichts vorgenommen werden / refert Carpz. cit. qu. 37. num. 85. & p. 4. c. 15. d. 9. Si plena probatio deficiat, & è contrario reum gravis urgeat suspicio, poterit judex isti offensionem præcepto penali inhibere.

V. Dum circa causas cautionis de non offendendo versamur externas, finalis simul annectenda est. Consistit autem finis cautionis hujus *ultimus* in averfione periculi minitati, & contrà in securitate ejus, cui illud minitatum erat; l. 1. ff. qui satisd. cog. *Intermedius*, in quiete publica, conservatione & salute Reipub. Florentibus enim singulis civibus, tota floret universitas. Sed à causis externis ad internas progredimur, ad materiam nempe tam subjectivam, quam objectivam, ut & deinde ad formam, quæ cuncta sistit

CAPUT III.

DE

SUBIECTO, OBIECTO ET FORMA.

S U M M A R I A.

- I. Duplex cautionis de non offend. subjectum. II. Quid circa subjectum passivum, seu minitatore, notandum? III. Num cautio de non offend. exigi possit à muliere? IV. In Camera Imperiali decernuntur mandata de non offend. ii. mandata avocatoria,

B

ria,

ria, & contra quos? V. An contra Magistratum cautio de non offend. decernatur? VI. De magistratibus quorum subditi dicuntur gleba adscripti, & argumentatio ab iis ad inferiores magistratus Saxonica ditionis. VII. Ulterior argumentatio ab editto quod vi metusve causa. VIII. An cautio de non offend. à subditis exigi soleat? IX. An à forensi, & quomodo cum eo procedendum? X. De subjecto activo. XI. Judex dignoscatur, an metus sit justus? ii. quod sit justus, non probatur juramento. XII. Duo singularia, quæ in dignoscendo metu attendenda. XIII. De cautione à marito præstanda uxori. XIV. Antecedentis assertionis ampliatio. XV. De cautione personis servientibus præstanda à dominis. XVI. An prior offendens, causamve præbens inimicitia hanc cautionem petere possit? XVII. An homicida? XVIII. De cautionis de non offend. objecto. XIX. An hic admittenda cautio juratoria? XX. Quando caut. jurator. admittatur? XXI. Pauper non pius, ad juratoriam caut. non admittitur. XXII. Quando seruiens maritus ad eam admittatur? XXIII. De forma cautionis de non offend. XXIV. Judex quandoque à captura incipere potest. XXV. Quomodo procedendum si reus non compareat? XXVI. Reus quandoque cautionem de judicio sisti & judicatum solvi præstat. XXVII. Forma cautionis præstandæ. XXVIII. Forma cautionis extra judicialis & juratoria.

§. I.

Cautiois de non offendendo duplex considerandum venit *subjectum*, alterum *activum*, seu ut vocant *occupans*; alterum *passivum*, seu *recipiens*. Hujus nomine venit *minitator*, cui cautionem præstare injungitur; *illius* justè *timens*, qui legitimum præsidium petit, aut ex officio judicis accipit.

II. *Subjectum passivum* quod concernit, notanda regula: *Quicumque damnum violentum, vulnera aut mortem alteri minatus, deque minis istis, ceu supra dictum, convictus est, cautionem de non offendendo præstare tenetur.* Hic tamen videndum ante omnia, num ei *minitatori* generalia ista sint requisita, quæ in cunctis, qui alias cavere debent, desiderantur, nimirum an negotia gerere, seu in jure consentire valeat? An verò aliquo modo impediatur. Deinde probè perpendendum, num *minitans* talis sit persona, quæ mi-

minas suas exequi possit ac soleat. Vana namque est sine viribus ira, & impotentis minæ sunt elusoriae, l. 4. ff. si cui plus, quam per Leg. Falc. l. 6. ff. quod metus causa, & eleganter vani quorundam gloriatorum mores perstringuntur in isto vulgari versiculo:

Sæpe minus faciunt homines, qui magna minantur,
nec non in istis, quos habet Paling. Poëta lib. 4. de Zodiac. vita
lbum,

Infirmi & timidi est nimirum multa minari,
Verbaque feminea vires sunt, facta virorum.

Ex dictis de variis subjectis, v. g. infante, impubere, furioso &c. an huc pertineant? facile judicandum erit, quapropter de singulis jam verba facere merito supersedeo, & saltem de muliere quædam subnecto.

III. Dubitant quàm plurimi, num à muliere cautio de non offendendo exigi queat? nimirum quod fieri vix possit, ut per minas mulieris terror ac metus incutiatur viro, cui dedecori sit, timere iram scæminæ. Inprimis verò non videbatur, justus metus à muliere toti senatui posse inferri, in eo casu, quem refert Dan. Moller, in *Semestrium lib. 3. cap. 29.* cum armis & viribus, sine quibus vana dicitur ira, hic sexus destituatur, & ipsi Imperatores in l. quisquis §. ad filias 3. C. ad L. Jul. majest. dicant, quod major circa eas debeat esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus auras esse confidimus. Verùm concesserim, respondet Dn. Carpzov. p. 4. c. 15. def. 7. ad has objectiones, concesserim hoc ipsum, si mulier pugnam viro fortè fuerit minata. Sed cum vindictâ mulieribus nemo magis gaudeat, & in iis defectum virium suppleat malitia, adeò, ut incendiis aut veneficiis (ceu quotidiana docet experientia) admodum iis noceant, quos vi aut ferro occidere haud poterant; igitur non solum in isto casu, quem Molle- rus narrat, Dnn. Scabini pronunciarunt, eam, de qua quærebatur, mulierem justè jam diu, donec de non offend. cautionem, & quidem sufficientem, Senatui & ejus subditis præstitisset, in carcere detineri posse; sed & hodie in pari casu pariter respondendum docet Carpz. def. cit. Berlich. part. 4. concl. 22. n. 9.

IV. Porro quoque judex accuratè perpendat minantis statum seu conditionem, hujus enim consideratione loco cautionis de non

offend. aliud interdum securitatis remedium venit decernendum. Sic in Camera Imperiali non injungitur dicta cautio Statibus Imperii, qui alicui vicinorum suorum offensionem violentam & læsionem minati sunt, sed decernuntur contra eos mandata de non offendendo, de quibus vid. Gail. *in cit. tr. de P. P. c. 2. § 3. ut & in observationum pract. lib. 1. c. 4.* Mind. *de proc. camer. al. lib. 2. c. 33. 34.* Similiter ii ad satisfactionem nostram non adstringuntur, qui injussu Imperatoris, ex quacunque causa, ad offensionem alterius delectum militum agunt, aut qui sub horum signis prece vel pretio militant. Nam contra eos, sive Duces belli, sive tumultuarii & gregarii milites sint, in Camera, vel etiam ex aula Cæsareæ Majestatis decerni, darive solent mandata avocatoria, de quibus idem Gail. *lib. cit. cap. 4. & Mind. d. l. c. 35. n. 15.*

V. Neque subditi contra Magistratum securitatem cautionis remedio impetrare possunt, quia neque mandata de non offendendo facile contra eum decernuntur. Præsumtio enim semper pro Magistratu est, *l. 2. C. d. offic. civil. jud. Alciat. tr. de præsumt. reg. 3. præsumt. 15. num. 1.* & superiores accusare iniquum & à seculi beatitudine alienum esse creditur *l. 17. l. pep. § ult. C. de his, qui accus. non poss.* Si tamen magistratus nimia sævitia subditos divexare, aut bonis pariter ac vitæ eorum inhiare velit, mandata pœnalia contra eos decernuntur. Sincerum igitur judicis arbitrium hic requiritur. Ut enim non facile subditi contra magistratum animandi: ita & hujus suppressioni ac prædæ non relinquendi. vid. Gail. *cit. cap. 2. à num. 18. ad fin. usque, Mind. loc. cit. cap. 34. n. 3. seq.*

VI. De iis tamen magistratibus, qui ejusmodi habent subditos, qui inter agricolas *glebæ adscripti* (Leibeigene) possunt appellari, & hodie in Ducatu Mecklenburgico, locisque vicinis inveniuntur, asserit Mevius in tractatu von Natur und Eigenschaft der Leibeigenen / in dem dritten Haupt- Puncte *num. 83. pag. 66.* quod si Dominus vindicationem ejusmodi hominis adscriptitii, qui propter nimiam Domini sævitiam ad superiorem confugit magistratum, instituat, & sævitiam, quâ arguitur, neget, glebæ adscriptus autem sufficienti probatione non statim gaudeat, is interim, nempe Dominus, si talem fugitivum consequi velit, cautionem de non offend. aut supra modum servitiis onerando constituere teneatur.

cur. Verba citati Dn. Auctoris hæc sunt : Dann wãnd dieselbe (intellige nimiam levitiam) von der Herrschafft gelãgnet / und darzu weitläufftiger Beweissthum erfordert wũrde / mag der Emvũt chener mit Fuge sich nicht verwiedern / noch von jemand aufgehãten werden / auf geleistete sichere Caution ; daß er über Gebühr nicht solle beschweret / oder libel tractiret werden / an den Orth / von dannen er abgeschiedn / sich wieder zu begeben. *per e. literas §. fin. X. de re. lit. spoliat.* Si itaque à minori ad magus argumentari vellemus ; ab istis nimirum adscriptitiis ad agricolas nostrarum ditionum Saxonicarum, qui absque dubio melioris (quamvis etiam diversæ) sunt conditionis, tunc sane concludendum, quod eorum magistratus, qui Statibus imperii annumerandi non sunt, sed Principes in suis provinciis agnoscunt superiores, possint, ceteris sic exigentibus circumstantiis, ad præstationem cautionis de non offend. adstringi.

VII. Præterea in l. 3. §. 1. ff. *quod met. causa*, dicitur, Edictum quod vi locum habere contra populi Romani magistratum, vel provinciam præsidem, si nimirum is per injuriam quid fecit, quod absque dubio ad hodiernos etiam magistratus extendendum est. Hinc inferre licebit : Contra quos Edictum *quod vi locum habet*, contra illos quoque poterit decerni præstatio cautionis de non offend. Ratio utriusque consistit in injuria, quam alter intulit, alter inferre minatus est : Injuria autem minitata non minus arcenda, quam illata est corrigenda. Et sic ea, quæ Gailius atque Mindanus de mandatis pœnalibus *loc. cit.* tradunt, ultra magistratus superiores seu immediatos imperii status extendi nequeunt.

VIII. Dum jam dixi, num magistratus ad caut. de non offend. subditos teneatur, simul de subditis magistratui pericula, quin & mortem comminantibus dicendum, an scil. contra eos quoque hæc satisfactio decerni soleat ? Distinguendum hic esse existimo. Si enim comminatio facta est contra ejusmodi magistratum, adversus quem committitur crimen læsæ majestatis, tunc minitans, criminis hujus reus arg. §. 3. *I. de pub. judic. ibi moliti sunt l. 1. ff. ad L. Jul. majest. l. 5. C. eod.* non ad cautionem nostram, sed pœnam gladii condemnandus, *l. 5. C. jam cit.* In quasnam autem personas læsæ majestatis crimen committatur, *vid.* in Carpz. *pr. crim. qu. 4. à n. 16. usque ad 89.* Sin verò magistratui majestate non fulgenti damnum violentum minatus

fuerit subditus, præstatio cautionis nostræ locum absque dubio inueniet. Disparitatis ratio est, quod in crimine læsæ majestatis, quod est ex numero atrocissimorum, affectus etiam & conatus pœnâ ordinaria puniatur, licet non sequatur effectus, *d. l. 5. C. h. r.*, secus ac in aliis delictis, ubi obinet contrarium, quo de vid. Jul. Clar. §. *fin. præf. crim. qu. 92, n. 2.* Carpz. *pr. crim. qu. 17. num. 11. seq.* Exemplo potest esse iste nobilis, qui Franciscum primum occidere se voluisse, Sodali Franciscano religiosè confessus erat, & pòst sententiâ Curie Parisiorum capitis damnatus est. vid. Bodin. *lib. 2. de Repub. c. 5. pag. 276.*

IX. Sed quid de *Forensi* statuendum, poteritne is cogi, parte petente, ad hanc cautionem? Brevitatis causa rationes dubitandi, imò negandi, quas Bart. in *l. 52. §. f. ff. de judic. Felin. in rubric. de treug. & pac. num. 17.* habent, non apponam, statim asserens, quod, si justa causa timoris probata sit, vel coram judice suo competente conveniri, vel, si judex iste requisitus legitimum præsidium denegaverit, in foro justè timentis præsens apprehendi, inq; carcere tamdiu detineri possit, donec de non offendendo sufficienter caveat. Si tamen vagabundus, vel de conatu offensionis suspectus moretur in loco minitati, poterit judex competens præteriri, & reus statim ab actoris Judice ad cavendum cogi. Farin. *quæst. criminal. 107. num. 42.* Addit Herculanius in *tr. de caut. de non offend. c. 12. num. 1.* quod in casu, ubi Judex rei requisitus cautionem non vult concedere, repressaliis tam contra minitantem, quam contra cives illius loci, uti liceat, juxta Bart. in *tract. de repressaliis*, quod postremum tamen æquitati convenire minus videtur. Dicendum potius, judicem reculantem de omni damno secuto teneri. Hercul. *c. 3. n. 5. Farin. loc. cit. n. 15.*

X. Subjecto recipienti annectendum occupans, quod est *justè timens*. Quicumque igitur justo percussus est metu, is legitimum nostrum petere potest præsidium, tam pro se, quam pro suis liberis, familiaribus atque domesticis *arg. l. 30. §. f. ff. locat.* Nihil enim interest, in se quis veritus sit periculum, an in liberis suis, cum pro effectu parentes magis in liberis terreantur, dicit Paul. in *l. 8. §. 3. ff. quod met. caus.*

XI. Cum verò non quilibet metus, sed justus & plerumque talis requiratur, qui in virum constantem cadere possit; *l. 5. 6. ff. quod met. caus.* judicis erit, semper dijudicare, num actor justè timeat, ejus enim

enim prudentiæ & arbitrio hoc relictum esse docent Menoch, *de arbitr. jud. lib. 2. cas. 140. n. 4.* Moller. *cap. cit. n. 8.* & alii. Sicut autem aliàs in dignoscendo metu qualitates præprimis attendendæ: ita in nostro casu (timentis quoque habitâ ratione) circumstantiæ & qualitates minantis atque minarum præcipuè veniunt considerandæ. Si enim ex requisitis supra descriptis iudici apparet, minas non esse vanas, faciliè nec metum esse vanum concludere licebit. Et sic nequam juramento timentis, qualitas ista timoris probari potest, quamvis ipse timor, utpote qui affectio animi est, eò doceri queat. Mascard. *concl. 1370. num. 3.* Moller. *loc. cit. n. 9.* De differentia metûs & variis violentiæ, quâ metus incutitur, generibus, deq; competentibus contra quodlibet genus remediis vid. præter Gail. *cap. sæpius alleg. 2. num. 5. & 8.* Mindan. *de proc. camer. lib. 2. cap. 33. num. 6. seq.*

XII. Inprimis Iudex metum dignoscendi cupidus, præterea, quæ supra de qualitate minarum diximus, duo adhuc attendat, quibus semper metus solet aggravescere. (1) Num minitans faciliorem offendendi occasionem habeat? v. g. si utraque pars in una degat domo, aut, quod magis, alter alteri certo quodam vinculo ad frequentiore & quotidianam conversationem sit obstructus. (2) Num ad minas, jamjam reales accesserint offensiones, ex quibus aliæ metuendæ sunt futuræ? Ad utrumque duo præprimis exempla sunt in promptu, quorum alterum est conjugum, alterum verò dominorum & personarum servientium.

XIII. Ad conjuges quod attinet, notissimum est, quod sæpè uxores maritorum accusent sævitiam, eamque propter ex justo, ut dicunt, metu, ad evitandum majus malum separationem, quoad thorum & mensam petant. Miseris hisce personis, sævitiâ probatâ, meritò succurrendum, prius tamen dicta separatio haud concedenda, quam omnia reconciliationis media frustra fuerint tentata, inter quæ satisfactio nostra à marito præstanda non ultimum habetur. Quoniam enim hoc in casu, tam propter cohabitationem, ceu faciliorem offendendi occasionem, quam propter jam factas offensiones, earum metus reverà dicendus est justissimus, in potestate mariti absque legitimo præsidio relinquendæ non sunt. Magistratus igitur vel mulieribus petentibus, vel ex officio sævientibus eiusmodi viris cautionem de non amplius offendendo iniungere, atque sic tentare debet,
an

an timidam antea uxorem nunc securam reddere, sævitiamve mariti eâ corrigere possit. *cap. ex transmissâ 8. cap. literas 19. in fin. X. de rassis. spoliat. & Panor. ad hoc cap. 13. Gerhard. in loco de conjugio §. 637. Carpz. Jpr. Consst. lib. 2. tit. 12. def. 218. Quid Judex in arbitrandâ sævitia viri ad separationem thori sufficiente, perpendere debeat? & multa alia huc facientia. vid. in Franc. Nigri Cyriaci controversia forensi elegantissima 172.*

XIV. Hac assertio de cautione mariti ampliatur à quibusdam ita, ut dicant, uxorem, licet culpâ suâ discessisset à marito, atque cum amasio stetit, tamen non teneri ad eundem redire, nisi data sibi cautione de non offendendo. *Hercul. cit. tract. cap. 3. n. 2. 3. 4. Vivius decis. 435. n. 21. Quod verum, si expressè constat de serio mariti proposito injuriam ab uxore illatam illicito modo ulciscendi. Schneidew. ad inst. tit. de nuptiis §. 4. n. 17.*

XV. Servientes quod concernit personas, nec earum metus propter adductas rationes, vanus erit dicendus. Quapropter tam servis, quàm ancillis, si nimium in eos sæviunt domini, remedio securitatis nostræ magistratus prospicere debet, præmissis si domini è fervitio eos dimittere nolunt. *arg. §. f. Inst. de his qui sui vel alieni juri sunt, l. 6. §. 5. C. de his, qui ad Eccles. confug. Mex. part. 4. dec. 19.*

XVI. Hactenus de metuentibus in genere dictum. Sed quid in specie juris obtinet, si prior offendens, causamve præbens inimicitia meruat, ne rursus ab offenso offendatur, poteritne is cautionem de non offend. iussè petere? Respondetur affirmando, non obstante, quod (1) metum, cui quis ipse causam dedit, allegare non liceat, *l. 21. pr. ff. quod met. caus. neque (2) ex delicto suo quis consequi debeat actionem, l. 12. §. 1. ff. de furtis, & (3) damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debeat imputare, c. damnum 86. de R. 7. in C. 10. l. 203. ff. de R. 7. Nam quoad primum, distingvendum inter metum, quem pro iustitia quis pati tenetur, uti mulier in casu, qui datur in alleg. l. 21. & inter metum, qui allegatur ad evitandum gravamen iniustum, *arg. l. 7. §. 1. ff. quod met. caus.* Ad secundum respond. quod dictum procedat, si actio ordinatur ad consequendum commodum, secus verò, si ad aliud delictum prohibendum, damnumq; vitandum instituitur. Regula tertio de damno, quod quis sua culpa sentit, applicanda fortassis esset, si prior offendens in ipso offensionis actu damnum quoddam sensisset ab offenso, vim vi repellente, postquam verò tantum*

tem.

temporis intercessit, propria haud competit vindicta offenso. Farinacius tamen *qu. cit. num. 22.* monet, Judicem in decernendo cautionem contra offensum mitius semper debere agere, quam cum offendente, praesertim si hic fuerit dives & nobilis, ille ignobilis atque pauper.

XVII. Ex iisdem fundamentis afferendum, quod quoque homicidii reus hanc cautionem petere valeat, Hercul. *c. 23. n. 24.* Si enim is a magistratu saluum conductum, cautione praestita, consecutus, defensionem deducere nititur, & tamen ab occisi conjunctis violentam invasionem justè metuit, hi a judice, praevia timentis petitione, ad cavendum de non offend. sunt compellendi, quae delinquentium securitas ab ipso Deo, summo Judge, videtur introducta. Nam cum Cain occidisset Abel, & dicebat se vereri, ne occideretur ab aliis, Deus ei signum dedit, ne ab ullo offenderetur, sed tutus incedere posset *Genes. 4. v. 14. 15.* Quoniam autem hodie nudis magistratus prohibitionibus atque signis ejusmodi homines irati non facile arcentur a vindicta; melius consuevit timentibus praestita de non offendendo cautione.

XVIII. Causam subjectivam excipit *objectiva*. Sicut autem objectum satisfactionis in genere sunt omnes res, tam mobiles, quam soli, quae in dominio caventis existunt: ita in specie circa cautionem nostram nil diversitatis videmus. Non enim ea est nuda promissio, sed realis & sufficiens debet esse cautio, per *cap. cit. 8. § 13. X. de restit. spoliat. Ordin. crim. Carol. art. 176. verb. nothdürftige Caution, Gewißheit oder Sicherheit / it. gnugsame Caution*, quae regulariter datis fidejussoribus, aut quod idem, imò tutius esse videtur, *Min. dan. cap. supra cit. 35. n. 2.* pignoribus expeditur. Hercul. *cap. 4. n. 3.* Farin. *d. q. 107. n. 36.* Moller. *semestr. lib. 3. c. 29. n. 10.* Hering. *de fidejussor. cap. 6. n. 243.* Berlich. *part. 4. concl. 22. n. 8.* Carpz. *pract. crim. qu. 37. n. 79. § part. 4. cons. 15. def. 6.* Mev. *ad Jus Lub. loc. cit. n. 15.* Sic dives quidem fidejussores dare non tenetur, Farin. *d. q. num. 44.* aut onere realiter cavendi per pignora non levatur, licet contrariam teneatur opinionem Berlichius *d. concl. n. 13.*

XIX. Oritur hinc quaestio, *an hic nonnunquam juratoria cautio sit admitenda?* quod olim maxime inter Jctos fuit controversum, à plerisque verò judicis arbitrio tandem commissum, ita ut ille, inspecta qualitate minitatoris, minitati atque minarum, dijudicare debeat, qualis cautio in unoquoque casu dicenda sit idonea, ne vel

C

one-

generosus actor, vel innocens reus nimis gravetur. Quod quoque con-
venit cum *cit. art. 176.* verb. Jedoch sol solche Straffe nicht leichtfer-
tiglich / oder ohn merckliche Verdächtlichkeit künfftiges Ufels / als ob
stehet / sondern mit Rath der Rechtsverständigen beschehen.

XX. Concludendum ergo, à iudice juratoriam interdum pos-
se admitti cautionem, nimirum si vel minitatus ipse minitatori aliquo
modo indulgere, ejusq; cautioni juratoriae fidere velit; *Carpz. d. q. 37.*
n. 94. & part. 4. const. 15. def. 8. Mev. l. c. n. 16. vel minitans aliàs sit per-
sona bonæ famæ ac vitæ, ejusq; conditionis, ut non multum ab ipso
metuendum, ex calore autem iracundiæ, aut in ebrietate tales minas
contra irritantem effuderit, quarum deinde ipsum pœnitet. *Jul. Clar.*
in pract. crim. quæst. 47. num. 5. Farin. d. qu. num. 41. Berlich. d. concls.
num. 10.

XXI. Sola autem paupertas (ut *Mindanus cap. cit. n. 3.* sta-
tuit) absque vitæ innocentia in hoc nostro casu non operatur, ut quis
juratoriae suæ cautioni committatur. Quamvis enim iuramentum;
hæc in parte præstandum, sit promissorium, futurum aliquem actum re-
spiciens, ad quod nonnulli Doctorum, etiam pauperes non admo-
dum probata fidei admittendos existimant, secus ac in confirmatorio
aut decisorio; attamen distinguendum inter actum, ubi jurans se quid
facturum, v. g. se in eodem iudicio sisturum promittit, quæ sanè res
non adeò magni est momenti, & inter factum eiusmodi violentum, ma-
ximive ergo ponderis, ad quod perficiendum reus ex perversa indole
maximè inclinatur, & tamen illud se intermissurum iurare debet. Tantò
itaque minus hæc fidendum erit, quantò quisque est pauperior, quippe
homines ejus furfuris bonorum, quæ nulla habent, iacturam non me-
tuunt, & experientia, ut verbis *D. Mevii* utatur, testis est, quàm multa
incendia, turbæ, scandala mota sunt ab iis, qui sub iuramento carce-
ribus relaxati juratoriam cautionem nihili fecerint.

XXII. Difficilius adhuc sæviens maritus ad juratoriam de
non amplius offendendo promissionem erit admittendus, ob ratio-
nes supra adductas, quibus metus uxoris augetur maximè. Admitti-
tur tamen muliere fidente ac consentiente, quod uberius deduxerunt
Hering. de fideiuss. cap. 6. n. 29. Carpz. in Jpr. conj. lib. 2. tit. 12.
def. 19. & pract. crim. qu. 12. n. 54. seq.

XXIII. Tertium capituli huius membrum erit cautionis de
non offendendo *Forma.* Hæc consideranda in securitatis nostræ tam
peti-

petitione, quam præstatione. Potest ea peti actione ex facto, l. 25. §. 1. ff. de O. & A. minas narrando ac probando, periculum hinc eminens exaggerando, metum fatendo, nobileve iudicis officium implorando, ut reus detineatur in carcere, donec sufficientem de non offendendo cautionem præstiterit.

XXIV. Facta minarum denunciatione & satisfactionis petitione, iudex parte citata de causa cognoscere debet. Nonnunquam tamen absque ullo iudicii strepitu, ex relatione proborum hominum se privatim informare, & si periculum in mora, aut reus de fuga suspectus, à captura incipere potest, haut attentis diebus festis atque feriatis, arg. l. 3. C. de ser. Hercyl. cap. 3. n. 11. 12. Si minitati periculum propter potentiam minantis sit nimis magnum, & ne in domo sua offendatur verendum, magistratus milites quosdam, aut alias fortes personas, ad eius præsidium mittere debet, quod securitatis genus quibusdam in locis in specie *Salva Guardia* appellari solet.

XXV. Quid si verò reus latitat, & neque citatus comparet, nec sui copia haberi potest? Quia reus occultatione istâ pessimam offendendi intentionem prodit, poterit iudex, si fortasse non tutius suppeditat præsidium, curare, ut citatio peremptoria vel ad domum solite habitationis eius insinuetur, vel in loco publico consveto affigatur, ejusmodi serè tenoris: Præcipimus tibi Titio, ut intra biduum coram nobis compareas ad cavendum & fidejubendum de non offendendo Mevium, sub pœna mille imperialium. Quod si cautionem prædictam non dederis, illam haberi volumus pro data, & ita ex nunc, prout ex tunc declaramus. Sin verò te senseris gravatum, compareas, justitiam recepturus &c. Fundatur hic procedendi modus *is l. cum postulasset 44. ff. de damno infecto*, & svadetur inprimis ab Herculano, aliisque antiquioribus ab eo citatis cap. 5. n. 5.

XXVI. Si porro reus suspectus, sed nondum convictus spatium quoddam temporis petat, ad deducendam sui defensionem, cogi potest, ut interim caveat de iudicio fitti & iudicatum solvi, præceptum quoque simul utrique parti debet fieri, ne quid innovent, juxta *not. per Barr. in l. 1. §. 1. ff. uti possideris, arg. l. 13. §. 3. vers. æquisimum ff. de usufruct.*

XXVII. Præstatio ipsa securitatis pro varietate circumstantiarum variè est concipienda, ita tamen, ut plerumque primò de minis antecedentibus & inde emergente metu dicatur; deindè mi-

mitator promittat, quod neque per se, neque per alios, confanguinitate, affinitate aut amicitia sibi conjunctos, non solum ipsum principalem minitatum, sed & ejus familiam, amicos, magistratum, aliosve homines offendere, sed ab omni illicito & violento facto abstinere, & jus suum, si quid se habere putet, licitis juris remediis prosequi velit. *Farin. d. qu. 107. n. 25. seq. ubi prolixè tractat, quo usque hæc sententia de affinibus atque confanguineis sit extendenda? Berlich. part. 4. concl. 22. n. 14. & 15. Carpz. pract. crim. qu. 37. n. 81. Mey. ad J.L.l.c. n. 21.* Porro denominentur pignora aut fidejussores, quibus promissioni suæ realiter fidem facit reus, & de minitatio periculo, indeque eveniente damno actor redditur securus.

XXVIII. Simili modo concipienda erit cautio extrajudicialis, quæ coram Notario præstatur optimè, qui omne id, de quo partes conveniunt, fideliter consignare & instrumento inferere debet. Juratoria, & in specie à læviente marito, quomodo præstanda, partim ex antecedentibus, partim ex formula sequenti, quam tradit *Dn. Carpz. jurisprud. Consist. lib. 2. tit. 12. def. 19.* colligendum est: *Ich N. N. schwöre / (hiermit einen Eyd zu Gott) daß ich weder die bisher erlittene Haßft außser Rechtens anten und eiffern / noch mein Weib und die Ihrigen mit einiger Thätlichkeit gefährden (an ihren Leib und Leben beschädigen) sondern mir an gleich und Recht begnügen lassen wolle / als mir Gott helffe / durch Jesum Christum / seinen Sohn / unsern Herrn ꝛc.*

CAP. IV.

DE

EFFECTU.

SUMMARIA.

- I. *Triplicex cautionis de non offend. effectus.* II. *Effectus cautionis hujus impositæ, sed nondum præstitæ.* III. *An relegario deficiente cautione potius suadenda, quàm incarceration?* IV. *Incarceratus quibus mediis alendus.* V. *Effectus cautionis hujus præstitæ.* VI. *Effectus cautionis præstitæ à marito de non offendendo uxorem.* VII. *Num cautione hac præstita conjuges ad cohabitacionem sint compellendi? Exemplum cautionis hujus à marito præstitæ sed non servatæ.* VIII. *Effectus ruptæ cautionis de non offend.*

offend. à parte actoris. IX. Effectus cautionis rupta à parte
rei, & de duplici pena hic concurrente. X. De effectu mina-
rum, si subsequatur offensam neget minitator.

§. I.

Effectus cautionis de non offend. alius est cautionis à iudice im-
positæ, sed nondum præstitæ; alius præstitæ; alius denique præ-
stitæ, sed non servatæ.

II. Effectus semel impositæ, sed nondum præstitæ cautionis
nostræ est minitatoris incarcerationio. Minis namque probatis, tam-
diu is in carcere detinendus, donec sufficienti cautione sese ex eo li-
beret. *Ord. crim. Carol. art. cit. 176. verb.* Solchen künfftigen / un-
rechtlischen Schaden und Ubel zuffür kommen / soll dieselbige ungläub-
hafftig / böshafftige Person in Gefängniß / als lang / biß die nach Er-
kenntniß desselben Gerichtes / gnugsame Caution, Sicherheit und Bes-
stand für solche unrechtlische / thätliche Handlung thut / durch die Schöpfe
sen rechtlisch erkant werden.

III. Non desunt quidem tam ex antiquis, quam recentiori-
bus Doctoribus, quibus visum est, ad omne periculum averten-
dum, minitorem esse relegandum, donec cautionem idoneam
invenit. *Jul. Clar. quest. cit. num. 5. Farin. d. qu. 107. num. 41.*
Berlich. d. concl. 22. num. 12. Verum maximè verendum, ne mi-
nitato parum hoc medio consulatur, cum relegatione incitamen-
tum addatur iræ, & eâ vix coerceri queat reus, quod minus occa-
sionem malum propositum exequendi quærat. Hinc observantiam
Ordinationis crim. ubique ferè in praxi forensi (Jure etiam Lube-
censi) receptam testatur *Mev. art. cit. 16. n. 17. Carpz. part. 4.*
s. 15. def. 8. & cit. qu. 37. ubi num. 93. exemplum militis addit,
qui ob minas contra personam quandam illustrem ejectas, in car-
cere arcis Rochlizenfis usque ad mortem suam detentus fuit.

IV. Incarceratus minitator alendus est de suis bonis, si verò
nulla habet, minitatus ipsi alimenta præbere tenetur, ipso quoque
non habente ea media, ex fisco judicii sunt desumenda, per *d. art.*
276. Ord. crim. verb. Und wo er sich von seinen selbst Gütern / in
solcher Gefängniß zu enthalten nicht vermöcht / soll alsdann durch den
Ankläger zu seiner Enthaltniß den Büttel sein gebührlich Wartgeld/
nach Ermessung des Richters / gegeben werden / und er der Kläger
der

berhaben zimlich Bestand thun. Wo nun der Ankläger solchen Kosten auch nicht vermocht / soll die Obrigkeit denselben Kosten tragen. So aber der gemeldt Gefangen in demselben oder andern Gerichten als viel hette &c. Carpz. d. qu. num. 96. Mex. d. loc. num. 20.

V. Effectus cautionis de non offend. præstita est rei è carcere dimissio, & ad pacem tenendam obligatio, nec non obligatio fidejussoris; actoris autem consecuta securitas, quodve in casum promissionis non servata, regressum ad fidejussores & pignora, ad illatum damnum resarciendum habere possit.

VI. Effectus in specie cautionis à marito de non amplius offendendo uxorem præstita & acceptata est (1) Separationis quoad thorum & mensam, non in perpetuum, sed usque dum animi conjugum reconcilientur, facta abolitio. Præstita enim cautio tantum valet, quantum operatur reconciliatio, inita autem reconciliatio, separatio ista absque dubio cessat. (2) Coniugum cohabitatio, ad quam rursus sunt compellendi, per *text. fin. in cap. literas 8. X. de restit. spoliar.* (3) Pœnæ, marito propter fornicationem exercitam competentis, remissio, aut saltem mitigatio, quæ facta reconciliatione, in honorem matrimonii de novo quasi contracti, facilis est impetranda. De his omnibus vid. Carpz. *Jurispr. cons. lib. 2. tit. 12. def. 220. 221.* & de pœna fornicationis ejusdem *pract. crim. quest. 12. n. 51.*

VII. De coniugum cohabitatione, num scilicet ad eam præstita cautione uxor sit compellenda? valde disceptatur, propter expressum verò textum canonicum allegatum & alias rationes à Carpzovio *jam cit. def. 220.* adductas, in judiciis affirmativa obtinet sententia, si scilicet cautionem semel acceptaverit uxor. Verùm ut eam acceptet & ad virum revertatur, cognitâ eius fornicatione, nequaquam à iudice cogi debet, propter ingens, quod verendum, periculum, & quia satisfactio ista non mutat malevolum mariti animum, sed diutius facultatem præstat delinquendi, *arg. §. novissime 12. Inst. de suspect. tutor & l. 6. ff. eod.* Nec facile credendum eiusmodi viris, si bonis verbis uxores ad redeundum persuadere conantur. Sunt enim verba ista plerumque simulata ac valde infucata, & ea proferentes foenum habent in cornu, ceu id ipsum supra citatus Franc. Niger in *controv. 172. num. 90.* memorabili

rabili declarat exemplo: Ego vidi, *inquiens*, quandam miseram recusantem redire cum marito, quia timebat ab eo offendi, fuisse coactam cum eo reverti sub hac cautione, præsertim quia maritus coram Prælo timoratae conscientia verbis fictis & mellifluis simulabat omnem rancorem deposuisse, & quod sibi videbatur valde peccare vivendo separatus ab ea, illam tandem obtentatam non elapsis duabus hebdomadibus jugulavit una nocte, & mane fingens, domi reliquisse eam in lecto dormientem au- fugit impunitus.

VIII. Principalior denique effectus cautionis hujus præstita, sed non servata, respectu actoris est actio ex stipulatu, quæ offensus (vel ejus heredes *l. 59. ff. de R. J.*) adversus reum aut ejus fidejussores (ut & heredes *l. 49. ff. de O. & A.*) agit, in id scilicet, quanti illatum damnum æstimarur, seu quanti inter est actoris, damnum datum non esse, aut loco illius ad pœnam, seu pignora, quæ certis verbis fuerunt expressa. *arg. l. 18. §. 6. l. 28. l. 37. l. 40. pp. ff. de damno infecto.*

IX. Respectu rei principalior cautionis nostræ ruptæ effectus est subsequens pœna, tam conventionalis, quæ promissioni de non offend. adjecta fuit, quàm quæ contra delinquentem pro qualitate delicti à judice decernitur. Duplex enim pœna hîc consideranda venit, quam Herculanius in tractatus sui *cap. 10.* nimium confundit. *Alter*a, ut dixi, conventionalis, promissioni de non offend. interdum adjecta, quæ non est corporis afflictiva, sed in solutione denominata pecuniæ consistit, quam plerumque offensus, ad damnum & id, quod interest, resarciendum consequitur, per regulam generalem, quod omnis pœna conventionalis parti applicetur; nisi expressè fisco fuerit cautum, *l. 1. ff. de jur. fisci*, aut consuetudine, vel statuto alicujus loci contrarium introductum. Quod etiam factum in statu ecclesiastico, *vigore bullæ Pii Quarti, in ordine 128. par. 2. Bullarii, fol. 169. vers. & insuper &c.* in qua statuitur, quod pœnæ conventionales pacis, treugæ & cautionis de non offend. ruptæ, stipulentur per Notarios in favorem Cameræ Apostolicæ, non autem communitatum, vel alterius, & si aliter facta fuerint, in ipsius Cameræ favorem stipulatæ censeantur. *Alter*a est principalis delicti, quæ pro hujus qualitate interdum corporis afflictiva existit, & ultra eam, de qua partes convenere, contra

tra offendentem decernitur, quippe poenā conventionali non derogatur legali, & quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inferuntur, jus commune non lædunt, l. 56. ff. *mandati*. vid. de hac materia Farinac. d. qu. 107. n. 77. seq.

X. Explicationi principaliorum cautionis nostræ effectuum bene poterit annecti quæstio de effectu minarum, quoniam nimirum ille sit, si v. gr. Titius confiteatur antecedentes minas, offensam verò subsecutam e. g. vulnerationem aut cædem, actore nil probante, à se patratam esse neget? Sufficiens ex his minis indicium ad torturam oriri docet *Ordin. crim. Carolina art. 32.* Jure autem Lubecensi, accusatus juramento se purgare tenetur, idque recusans pro convicto habetur. Discrepantiam harum legum conciliat Dn. Mevius ad J. L. part. 4. tit. 16. art. 5. n. 4. distinguendo inter statutum de solis minis agens, (uti est Lubecense,) & inter ordinationem, in qua minis alia adminicula & circumstantiæ extant appositæ. Et harum ex d. art. 32. tres colliguntur, quæ simul adesse debent, si minitans torturæ subjiendus: (1) ut minæ contineant delictum certum & specificum, & quidem juxta Mev. & Carpz. id ipsum, quod deinde fuit patratum, Zangerus autem in *tract. de quest. seu tortur. cap. 2. n. 44.* aliud aut simile admittit factum, *verba art. Solche Missethat vor der Geschichte zu thun gedrohet hette;* (2) ut factæ sint ab eo, qui exequi solet, aut malæ vitæ famæque est, ita ut in eum si niltra suspicio de minis exequendis cadere possit, *verb. Es were eine sonderliche Person/ daß man sich derselben That zu ihr versehen mag;* (3) ut mox subsecutum sit idem factum, quod quis minatur, *verb. die That auch in kurzer Zeit erfolget were/ quod modicum tempus judicis arbitrio definiendum erit. arg. l. 1. §. 2. ff. de jur. deliber. Zanger. loc. cit. Carpz. pract. crim. quest. 121. num. 50. seqq.*

CAP. V. & ULTIMUM.

DE DISSENTANEIS ET AFFI- NIBUS.

SUMMARIÆ.

- I. Quanto tempore cautio de non offend. duret?
- II. Dissolvitur ea vel decursu temporis præfiniti, vel morte eaventis.
- III. Num morte

morte civili, seu banno dissolvatur? Responsio de Jure communi. IV. Responsio de Jure Saxon. Differentia banni Imperialis & Saxonici. V. Rumpitur cautio de non offend. factâ offensione, & quid circa hanc attendi debeat? VI. Tria offensionis requisita, si exinde cautio dici debet rupta, & de offensione ex nova causa. VII. Ut offensio sit violenta, necesse non est. VIII. Quando cautio hac rumpatur commisso adulterio, stupro, furto? IX. Num injuriâ cadaveri sibi pulatoris illatâ? X. Progressio ad cautionis de non offend. quadam ad finia, & de Salvo Conductu. XI. De Obsidio, seu obsidis datione receptione. XII. De promissionibus militum, qui ab hoste ex captivitate dimittuntur. Conclusio.

§. I.

DE Disfentaneis, seu modis cautionem de non offend. & dissolvendi & rumpendi, acturus, necesse habeo, prius de tempore quadam monere, per quod ista sit duratura. Fuit illud olim spatium 30. dierum, ut videndum ex Jul. Clar. *pract. crim. §. fin. qu. 47. num. 6.* Farin. *d. qu. 107. n. 46.* Deinde aliquibus in locis duravit per tempus officii Jurisdicentis, seu Prætoris, sub quo fuit præstita, & sic finito officio, cautio ista per se expiravit. Hercul. *cap. 31. n. 14. 15.* Farin. *d. qu. n. 54.* Denique à plerisque Doctoribus arbitrio judicis relinquebatur, quousque ea se extendere deberet, dijudicare. Farin. *d. qu. n. 46. seq.* Quoniam verò si ad certum tempus erat constituta, non semper intra illud cessabat causa suspicionis, & offensio non auferebatur, sed differebatur, atque sic judicem partes ad illam renovandam sæpius cogere oportebat, quod etiam, quoties alius succedebat prætor, obtinebat; Jul. Clar. *loc. cit.* itaque in quibusdam locis forma satisfactionis ita dirigebatur, ut absque certo præfixo termino, simpliciter caverent, quæ cautio deinde in perpetuum, seu quam diu causa timoris aderat, durabat. Farin. *d. qu. n. 49. 50.* Convenit hoc cum sילו moderno, ubi etiam certum tempus intermittendæ offensionis non præfigitur, sed cautio ad dies vitæ, nisi singulares id impediant circumstantiæ, extenditur. Mindan. *de proc. camera. lib. 2. cap. 35. num. 4.* cum quo consentit Mevius *cit. art. ad J. L. num. 19.*

II. Ex his concludendum, quod cautio de non offend. dis-

D

sol-

solvatur vel decursu temporis, sive lege, sive à giudice præfiniti; vel morte caventis. Quod enim Hercul. *cap. 9. n. 9.* de ejus abolitione, factâ inter partes pace, invitò etiam superiore, dicit, non concedendum est, & firmavit contrariam opinionem multis rationibus Farin. *d. qu. num. 125. seq.* Dixi hanc cautionem dissolvi morte minitatoris, nam morte minitati seu stipulantis non in totum potest dissolvi, quia cavens promisit, se non solum principalem minitatum, sed etiam ejus familiam non offensurum.

III. Quaritur hinc, *annon minitatorum morte civili, quam consequuntur ex banno, l. 1. C. de hered. instit.* Gail. *lib. 2. obs. 86. n. 10.* *satisfactio hæc tollatur?* e. g. Titius cui minitatus est Mevius ab hoc exigit cautionem de non off., eamque obtinet: paulo post contra eundem Titium, propter delictum quoddam committum, bannum declaratur, quaritur ergo, an ea ipsa banni declaratione tollatur præstita cautio, ita, ut bannitus à Mevio impune possit offendere, aut prorsus occidi, quamvis ex particulari inimicitia & odio, non autem Zelo justitiæ id fiat? Affirmant hoc de jure communi Hercul. *cap. 23.* Farin. *crim. quest. 103. num. 46. 50. 51. 203. 204.* & alii ab his citati; inprimis si vi statuti cujusdam, banni declaratio concedat, bannitum quomodocunque interficere. Ratio (1) quia omnis promissio intelligitur rebus sic stantibus: (2) offensa non inducitur, nisi per actum punibilem.

IV. Hodie ad motam questionem respondendum est, distinguendo inter bannum imperiale Imperatoris & Cameræ Imperii, quod proprie ac verè bannum est, & inter alios, quos habet effectus, vitam quoque bannitii omnibus publicè exponit, qualis sententia banni imperialis primùm pronuntiata est die 26. Februar. anno 1496. Gail. *de P. P. lib. 2. cap. 1. num. 20. & 29.* Carpzov. *pract. crim. quest. 140. n. 91.* & inter bannum Juris Saxonici, quod contra reum criminis fugitivum decernitur, & nequaquam cuilibet privato potestatem offendendi aut occidendi reum tribuit, sed tam de Jure Sax. Electorali, (*per dec. El. nov. 77.*) quàm Ducali, (*per rescripta Serenissimorum Ducum, Dn. Friderici Wilhelmi, sub dato Attenburg. d. 15. Jan. 1655. & Dn. Ernesti, sub dato Fridenstein d. 20. Febr. 1655.* ad Scabinatus Jenensis Adfessores) eos tantum habet effectus, quod (1) bannitus pro confessò ac convicto habeatur, & à quolibet tanquam convictus capi, & ad judicium, executionem ve

tra-

trahi possit: (2) bannitus ipsa banni declaratione (de superiori isto loquor, von der Oberacht) efficiatur infamis: (3) ejus bona fisco cedant, quos effectus uberius deduxit Carpz. *d. quest. 140. n. III. seq.* Dissolvitur ergo cautio de non offend. non banno Saxonico, sed imperiali.

V. Rumpitur hæc satisfactio facta offensione, quam reus intermittere promiserat. De hæc offensione qualis esse debeat, ut cautio exinde dicatur rupta? plurima conscripsit Farin. *in cit. qu. 107. part. 2. n. 142. seqq.* concludens tandem, totam rem ex forma, seu instrumento promissionis hujus dijudicari oportere, ita, ut attendatur, num generaliter cautum sit, quod quis neque directè, neque indirectè, quocunque modo, offendere velit; & tunc cautionem hanc frangi omni offensione, proveniente ex actu provocante ad iracundiam, & punibili, sive in personam, v. g. vehementi corporis percussione, vulneratione &c. sive personæ, e. c. læsione famæ, aut bonorum &c. sit illata, propter generalitatem promissionis & voluntatem sic promittentis: an vero quis tantum promisit, se non offensurum in personam, daß er Klägern an seinen Leibe nicht verletzen wolle; & tunc cautionem quoque non, nisi ex ista offensione frangi, l. 1. §. 6. ff. de his, qui effuder. Simplicem promissionem, certâ offensionis determinatione non adjectâ, generaliori isti respondere, vult idem Auctor num. 151. seq. & injurias quoque verbales, graves tamen arbitriò judicis, completi, sentit Bajard. *in addition. ad Jul. Clar. cit. loc. n. 3.*

VI. Observata hæc distinctione de variis offensarum speciebus, quas subnectere mei non est instituti, facile judicari poterit, num scilicet per eas rupta dici possit cautio? modo prius semper dignoscatur, an (1) vera facta sit offensio, quæ poenam meretur? l. 3. §. 3. ff. de injuriis (2) an ista dolo malo, præcedente nimirum consilio & proposito offendendi, sit facta? l. 2. §. 2. ff. de vi bon. rapt. (3) an ex causa præstationem cautionis præcedente? Si enim inimicitia antecedens & minas producens certam causam pro fundamento habuit, necesse est, ut offensio ex eadem causa proveniat, si cautio exinde rupta debet æstimari. Secus si ex nova causa, quam dedit actor, offensio fuit commissâ, tunc juxta communem Doctorum sententiam cautio non rumpitur, sicut & is eam non frangit, qui fidem prius frangentem ac offendentem rursus vel in

continenti, vel ex intervallo offendit. Herculian. *cap. 18. n. i. Me-
noch. part. 3. conf. 244. n. 30.* Posterior tamen offendens non potest
evitare penam juris communis, aut statutariam, quæ erit ordinaria,
si ex intervallo, extraordinaria, si in continenti offendat, & modum
necessariæ defensionis excedat. De hac offensione ex nova causa
vidi. Hercul. *cap. 13. per tot.* Farin. *d. qu. 107. à num. 403. usque ad
431. & à n. 460. usque 498.* de probatione verò & præsumtionibus
in nova offensionis causa à n. 432. usque ad n. 459.

VII. Ut dolus in offensione partis sit cum vi conjunctus, & sic
offensio existat violenta, ad rumpendam cautionem necesse non est,
occulta enim & callida offensio eundem cum violenta consequitur ef-
fectum, *l. 2. §. 8. ff. de vi bon. rapt.* Quod videndum in veneficio & ma-
lesicio, it. in calumniosa accusatione & falsa testificatione tam in cau-
sa criminali, quam civili, quia hoc casu testimonium animo injuriandi
vindicanđi; præsumitur perhibitum. Farin. à n. 246. usque ad 258.

VIII. Sed quid dicendum de adulterio aut stupro, cum sti-
pulatoris uxore aut filia à promittente commisso, rumpiturne eò no-
stra cautio? Distinguendum (1) num suspicio adulterii aut stupri præ-
cedentis causam dederit priori inimicitia & subsæcra cautioni, an
non? si dederit, cautio est perdita; sin minus, porro dist. (2) num
adulter aut stuprator facinus istud patriverit animo offendendi, aut
se vindicandi, & in injuriam ejus, quem non offendere promiserat, ut
ers dem Mianne zum Bessen gethan? an verò ex amore, aut libidine id
commiserit? Priori casu cautio frangitur, non verò posteriori. Nam
voluntas & propositum maleficia distingvit, *l. 53. pr. ff. de furt. l. 3. §. 1.
ff. de injur.* & semper attenditur id, quod principaliter agitur, *arg. l. 4.
ff. de reb. cred.* Intentio autem delinquentis, quia verbis ejus non fa-
cile credendum, ex circumstantiis, fama & conjecturis, quantum fieri
poterit, dijudicanda. In dubio tamen adulterium ex libidinoso amore
commissum præsumitur, licet contrarium à Farinacio *num. 232.* citatus
Angellus in *l. verum 25. ff. de furt.* sentiat. Ratio potest dari ex ista
Doctorum recepta interpretatione, ubi actum, in quo bina possunt con-
currere delicta, quorum alterum majus, alterum minus, pro exclusio-
ne majoris interpretantur, juxta regulam: In obscuris, quod minimum
est sequimur. Quemadmodum autem hæc præsumtio augetur, si mu-
lier sit pulchra atque formosa: ita contrarium ejus & quod offendendi
potius, quam libidinis causa adulterium sit perpetratum, præsumi-
tur,

tur, si uxor nimium deformis ac vetula. Vid. de hac materia Hercul.
c. 17. n. 6. 7. 8. 9. Jul. Clar. in cit. qu. 47. n. 12. & Bajard. in addition.
n. 64. seq. Vivius opin. 566. Farin. d. qu. à num. 227. ad n. 237. Idem
obtinere & eadem possunt admitti distinctiones, si furtum à promittente
de non offendendo dicatur commissum. Vid. Far. d. qu. à num. 238.
ad num. 247.

IX. Tandem queritur, num cautio hæc rumpatur per injuriam
cadaveri stipulatoris illatam? Et videtur tutius cum Hercul. cap. 20.
n. 22. negari, quam cum aliis affirmari posse, quia mors sicut omnia,
ita quoque respectu defuncti hanc cautionem solvit, & mortuus non
amplius potest offendi, nisi generaliter, & de non offendendo etiam sti-
pulatoris hæredes fuerit cautum. Facta verò hæredibus dici potest in-
juria, offensus enim seu injuria facta cadaveri, maxime ad hæredes per-
tinere dicitur, qui, si cautio non generalis, sed in personam tantum de-
functi restricta fuit, injuriarum actionem habent contra offendentem.
Mouet quidem Farinac. n. 368. etiam hanc questionem, & varias Do-
ctorum opiniones in respondendo adducit, suam verò decisionem
non addit, sed rem iudicio lectoris relinquit.

X. Ad *Affinia* nunc securitatis nostræ accedo, ad finem simul
hujus laboris properans, quapropter unum saltem vel alterum duo-
bus quasi verbis innuam. Convenit cum cautione de non offend. *Sal-
vus Conductus specialis*, das volle sichere Geleit zu recht und vor unrechte
Gewalt, qui etiam definitur legitimum præsidium, quod nempe citato,
carceris timenti, præstita ab ipso cautione sufficiente, pro aversione pe-
riculi carceris, aut alterius offensionis, à magistratu conceditur. Primaria
hujus salvi conductus convenientia cum cautione de non off. consistit
in effectu, qui est securitas ab incarceratione & omni vi injusta; Diffe-
rentia v. præcipua in eo, quod apud nos legitimum hoc præsidium diu-
tius non duret, quam sententiâ contra reum decernitur, quod vel pec-
nâ capitali, aut aliâ corporis afflictivâ afficiendus, vel questioni sit sub-
jiciendus. De salvo hoc conductu videri possunt Hercul. cap. 37. Franc.
Niger Cyriacus comitov. 299. & 473. Zanger. in trakt. de Except. part. 2.
cap. 5. n. 8. seq. Carpz. præf. crim. qu. 112. n. 20. seq. Mev. part. 1. dec.
3. 4. p. 3. dec. 153. 169. p. 4. dec. 211. Dec. Elect. Sax. nov. 76. Potest &
huc certo modo referri iste salvus conductus, qui in civilibus à cre-
ditoribus conceditur debitoribus, de quo Mev. part. 6. dec. 286.

XI. Proprius adhuc ad cautionem nostram de non offendendo

do accedit *obsidium*, seu *obsidis datio receptio*, quando scilicet civis alicujus reipub. alteri, ut de pace servanda sit securus, traditur, eâ lege ut traditus per tempus, quod publica conventione determinatum fuit, apud recipientem maneat, & si dator obsidis bellum renovans à fide recedat, recipienti potestas sit sæviendi in corpus & vitam ejus, qui datus est obses. *vid. Dissertatio* Magnif. Dn. Schilteri *de Jure obsidum*. Convenit hæc cum cautione de non offend. imprimis ratione finis (securitatis, seu ut quis tutus sit ab hoste) & effectus (tam obligationis, quam juris, quod in casum fractæ pacis, recipiens in obsidem consequitur.) Differunt verò præcipuè ratione subjeçti, objecti & formæ. Nam obside cavent personæ publicæ, jure belli & pacis, & quidem facta reali traditione obsidis; in cautione verò de non offend. cavent personæ privatæ, constitutione saltem pignorum, vel fidejussorum, aut præstatione juramenti.

XII. Pertinent & hæc promissiones, de quibus Grotius *lib. 3. de J. B. & P. cap. 23. n. 7.* quando capti bello promittunt capienti, ne in certum locum redeant, nec adversus dimittentem impofterum militent. Prioris exemplum profert ex Thucydide, ubi Ithomenfes sic promiserant Lacedæmoniis, exituros se Peloponneso, nec unquam redituros. Posterius nunc frequens esse dicit, simul exemplum quoque adducens ex antiquitate, Numidarum scilicet, quos Hamilcar dimisit, eâ lege, ne adversus Carthaginienes eorum quisquam arma hostilia ferret. Convenit hoc promissionis genus maxime cum specie ista cautionis de non offend. nempe Urpheda, cujus ab initio mentionem feci.

Pauca hæc sufficiant pro explicatione hujus materiæ, in qua si non cuncta, quæ circa eam obvenire possunt, reperiuntur, magis tamen necessaria non deesse non ignoro; Sed si nec hæc; omissionis veniam non minus precor, ac erroris, memor me esse hominem, cujus & scripta & facta nec omnibus placere, nec omnibus displicere solent. Meum interim est, Tibi, *Summe Deus*, pro viribus clementissimè hætenus concessis, humillimas perfolvere gratias. Sit quoque porro gratia Tua meorum studiorum, actionumque reliquarum & principium &

FINIS!

* * *
Rulgentis auri pallidus fossor, die
Ac nocte telluris profundæ qui siens
Quærendo solers permeavit abditos

Vitæq; quodvis pertinax periculum.

Adire non perhorruit cavæ nigra

Per antra terræ perq; montium vagas

Pasfim radices fulgidi causa lucris

Hoc pro labore fulgidum capit lucrum

Sudorq; multo muneratur fœnore.

Quidni Themistæ gnarus egregium ferat

Acti laboris cultor usum strenuè?

Nostris profecto, Amice, clarum à vultibus

Exemplar obstas, disputaturus gravi

de quæstione, publicæ luci datâ

Cui nec supellex erudita insignium

rerum nec ars colorve verborum deest.

Sis ergo tanto laudis præmio precor

studii usque & usque pertinacis per libros

Apis matinx more, quin fruis cere!

Ita ex animo

scr.

PETRVS Müller / D. Decanus

& Academ. ProRector Designatus.

Ne

NE quenquam offendas, *sanctissima* *Judicis acta*
Supremi & Regum jura sacrata volunt.
Hinc nihil utilius poteras, PFEIFFERE, docere,
Quod Tibi Doctoris nomina jure paret.

Plausus votivus

NICOLAI CHRISTOPHORI LYNCKERI, D.
Confil. Sax. Vin. intim. & Antec. Primar.

SI quid prae terita gratum est in imagine vitae,
Tu sane in primis praestas ea gaudia nobis,
PFEIFFERE: haec primus laeto qui fine laborum
Præmia doctorum tantosque capessis honores,
Istorum, nostræ olim quondam *Salsfelda* docendos
Quos dederat fidei. Nec te mea vota juvent?
Mille Tibi cumulo calido de pectore, mille.
Annue sancte DEUS. Teneras qui numine dextro
Illius curas fovisti, dulciaque esse
Incrementa jubes studii, metamque benignus
Tam fortunatam, *Themidos sacra pulpita*, ponis;
Munera fac idem hæc & commoda recta sequantur.

*Nobiliss. Clarissimog. Dn. Doctorando suo quondam inter
Salsendenses discipulo amatisimo, nunc Amico &
Suvolo suo avissimo, ex animi sententia gratulatur, ac
simul Reverendi Optimig. Patris Ejus precibus se com-
mendat*

CASPAR SAGITTARIUS, D. PP.

SInt jubeat summum felices Numen Honores,
Quos animi dotes promeruerè Tibi!

*His paucissimis erga Nobilissimum Dn. Doctorandum
observantiam suam testari voluit*

H. L. Meyer / SS. Th. St.

☉ (o) ☉




ULB Halle
005 132 41X

3



VB 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

A. J.
CAUTIONEM

DE
NON OFFENDENDO, 6

DECRETO
MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS

In Illustri Salana

PRÆSIDE

DN. HENR. BALTHAS. ROTHIO,

Jcto, Confil. Saxon. & Schwarzburg. Antecessore,
Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridica
Asesfore gravissimo,

PRO

LICENTIA DOCTORALI

ET

SVMNIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS
PRIVILEGIISQVE LEGITIME CONSEQVENDIS,

Horis ante & pomeridianis

ad diem XI. Februar. ANNO M DC LXXXVIII

DISPVATIONIS INAVGVRALIS LOCO

IN AVDITORIO JCTORVM
ventilandam sstii

JOH. ABRAHAM PFEIFFER,

Niedergraffenhainâ - Misn.

JENÆ,

Excudebat JEREMIAS NEPPIVS.

